

P R Æ F A T I O.

QUUM primum de Danielis Libro per epistolas nuntiatum est, quo quid fidei circa divinæ Gratiæ efficaciam esset, quid præter fidem; quid ex Augustini mente, quid præter mentem, exponere niteretur: id statim venit in mentem, sat bene Theologum Molinianum domesticæ Scholæ commodis prospecturum, si quas ipsa sententias amplectitur, præter fidem, aut etiam, si potis esset, præter Augustini mentem esse conderet. Hoc etenim ultimum vallum, quo se olim cæteris depulsi munimentis Moliniani receperant, diu novi. Ast ubi post mensem alterum, perlatum libellum legere contigit, rem longe fecius esse, quam putaveram, intellexi. Vix enim pauca folia delibavi, cum statim nova cudi fidei capita deprehendi, recentium paradoxa sacris Ecclesiæ dogmatibus accenseri, privatas opiniones universo Theologorum cœtui frequentius adscribi, probatissimas tandem, receptissimasque sententias, tecte saltem, ac per cuniculos, hæreseos notis inuri. Idque, quod mirandum magis, fidentia tanta, dictorumque securitate, ac philautia, ut cum sua ferme omnia levissimis momentis expectat, quæ ne tyronem quidem morari queant, demonstrationes tamen, si quas habet Theologica res, absolutissimas dicat.

Potueram quidem, ac etiam fortasse debueram, surda aure tenuem scriptiunculam præterire, quæ prima duntaxat gratiæ congruæ rudimenta, ad subliniendâ simplicium ora, instillandumque illustrioribus scæminis Molinismum, vernaculo idiomate Lectoribus tradit. Verum Amicorum hortatu, ac pene convicio, qui notam haud levem Scholæ Thomisticæ iniustam querebantur; multaque passim alebant esse, quæ specioso verborum sacro, coactaque Conciliorum, & Augustini interpretatione, vera rudioribus viderentur, reponere coactus sum. Quare ne quid forte virgam assugeret, si desultoria methodo Theologicam Danielis tractationem confutarem, totam a capite ad calcem, continuata serie, censoriis notis expungam: modeste tamen, & intra modum, ne quis obstrictandi libidine potius, quam tuendæ veritatis studio, huic a me susceptum laborem extimeret.

Neque tamen dum id operis molior, animus est delibare de omni genere probationum, & infinita, quibus gratia se ipsa efficax superstruitur, argumenta prosequi, quod ambitiosæ consilii foret: sed quod erit huiusce alexæ, & institutæ a me defensionis maxime proprium, huic insulam uni. In Danielis momenta duntaxat inquiram; & quam procul a vero superciliosus Scriptor abierit, paucis ostendam. De reliquo, cumulatam gravissimarum, quæ se se identidem offerunt, quaestionum tractationem præstantissimis, quibus id curæ fuit, Theologis mittam. Unam paulo plenius duntaxat attingam, ut inauditum eius, de Gratia (De Correp. & Gratia cap. 12.) *indeclinabiliter, & insuperabiliter* agente, quem actualem esse nolit, paradoxum exufflem; ne se ipse, quasi novo invento cœli convexa tetigerit, superbius efferat; (Animadv. 30.) nobisque Augustinianæ (quæ viro Moliniano stomachum mover) loquendi formulæ defensoribus, erroris labem affingere pergat.

Tu interim amice Lector, his utere. Ac si victicis Gratiæ, uti par est, studio delectaris, Deum suppliciter venerare; ut, quæ conjunctis animis commentatur, cordibus etiam experiri donet: quo demum, ejus, quam defendimus, ope, atque præsidio, (August.) *cum omnibus amoribus, terroribus, & erroribus*, vincamus huic mundum.

SCHO.

S C H O L A
T H O M I S T I C A
V I N D I C A T A,

S E U

G A B R. D A N I E L I S

E S O C I E T A T E J E S U

Tractatus Theologicus

Adversus Gratiam seipsa efficacem Censoriis Animadversionibus confutatus.

UT via, ac ratione procedat mea hæc Theologicæ Tractationis Confutatio, Libelli summam e Gallico Latine redditam, per partes integra fide, & continuata serie representabo, Lectorumque oculis sitam, ac suam cuique censoriam Animadversionem appingam. Ita fiet, ut qui Danielis librum ne viderunt quidem, (neque enim omnibus scribit) rem totam plane percipiant, ac de nostra concertatione, auditis veluti partibus, ex equo iudicium ferant.

A N I M A D V E R S I O N E S

In Danielis Præfationem.

I.

L I B E L L I S U M M A



Reditur Tractatus theologicus (Præf. pag. 1. 2. 3.) novissimus Auctor a proluxa in viros Theologos declamatione, qui suas, ut ait, de divinis Auxiliis Tractationes felle, & abythio resperere. Aclinet qua parte peccatum maxime fuerit, nolle se statueré, verbo simulet, re ipsa tamen ea invidia Thomistas tacitis nominibus onerat; quorum Libros, Theses, atque Historicæ hoc de argumento narrationes, ab æquis rerum æstimatoribus legi optat, ut suis ipsi oculis erudiantur, rei que periculum faciant.

A N I M A D V E R S I O.

Bene est, rei periculum fieri optamus, & nos, quique excessu peccaverint, diligentius expendi. Quod ne grave nimis Lectori contingat, loca distincte notamus, quæ consulere necesse fuerit, ut de summa Scholæ Molinianæ Professorum, in hoc ipso argumento tractando modestia sententiam ferant.

Legantur ergo, si vacat, Joannes Martinez de Ripalda *Disp.* 113. *sect.* 9. & 13. Franciscus Ananatus *Disp.* 4. de *Scientia mediæ*, Germanus Phi-

laletes *cap.* 2. *§.* 2. Paulus Leonardus I. *parte*, *sect.* 3. Auctor (*Questions importantes.*) *Disquisitionum in novam Auxiliorum Historiam*, *quest.* 1. *cap.* 1. & 2. *quest.* 2. *cap.* 5. quorum omnium hæc una vox est, Congregationum de Divinis Auxiliis Consultores ab Apostolica Sede constitutos, iniquo in Societatem fuisse animo, occultis infimicitis, ac simulatibus occupatos, adversæ partis gratia circumventos, ac minus pro argumenti dignitate peritos.

Legatur idem laudatus Annatus *sect.* 4. de *Scientia mediæ c. 1.* ubi Clementem VIII. Rom. Pontificem in Societatem male animatum, ac Scientiæ mediæ arcana minus edoctum ait, multisque probare nititur.

Auctor *supplicis Monitionis* Illustrissimo Rhemenis Archiepiscopo inscriptæ, eundem Pontificem Maximum in Prædicatores occultis de causis, minusque Pontificiæ dignitati honorificis, atque ita silentio involvendis, inclinatum oblique significans.

Auctor *Epistolæ Leodii datæ*, mense Julio anno 1698. & ad Abbatem *** Auxiliorum Historiam meditantem directæ, qui Gregorium Coronellum idcirco maxime a Clemente VIII. in Congregationum Consultorem adlectum, & ab actis, atque secretis datum obtendit, quod esset Societatis professus hostis; a quo censura, atque judicium totius Confessus nomine lata, livore malo expedirentur.

Theophilus R aynaudus in *Discussionne Libertatis* Gi-

Gibieusiana, ubi Guillelmus Gibieusum Oratorii Presbyterum Scholæ Thomisticæ partes agentem plautino sale defricat.

Thetes a Molinianis Professoribus vindicatae Toloſæ anno 1681. Cadomi 1692. Rhemiſi 1696. Lugduni 1697. Rothomagi 1698. Lovanii 1704., quarum aliæ ob nimios excessus ab eruditissimis Præfulibus inuſtæ ſunt.

Syndicus Academiæ Trevirensis, Societatis ad verſus Dominicanum Congregationum Hiſtoricum procurator, & actor in *juſta querela*; qua eundem brevi pagella mille conviciis excipit; *traductorem inſanem, atri ingenii virum, impudentem, ſenebrionem, ſycophantam, lavernionem, mendacem, blateronem, impudentiſſimum, veſperilionem* appellans.

Danielis ipſius ad Natalem Alexandrum, & Prædicatorem Præpoſitum Generalem Epistolæ, frigidis Janeniſimi accuſationibus inſarctæ, Romanorum Pontificum, Regiſque Chriſtianiſſimi interdico inſuper habito.

Quibus addere liceat vulgatam nuper ſub acſtitio *Theodori Eleutherii* nomine Auxiliorum Hiſtoriam, de qua nihil hætenus præter auditum habeo; conviciis, ut accipio, in Prædicatorem Ordinem, & Commatis inſarctam; quorum onus partes centum rates incita remis.

Hæc quiſquis legerit, judicio demum ſtatuat, utri exceſſu peccarit: numve *litteratus homo (Un homme des lettres, & un honnête homme; ce n'eſt pas toujours la même choſe.)* (ut ſua Danieli verba reddam) *idem ſit ſemper, atque honeſtus.*

In hoc etiam erit æquis rerum æſtimatoribus inquirendum, qui primi acuerint calamum, illudque Hieronymi dictum ſecunda adverſus Ruſinum inſectiva præ oculis habendam: *ſi hoc culpatur, ego in opere poſtremus ſum, & necesse eſt, ut culpa a primis incipiat.* Qua de re dictum ſatis in Moniſio ad Lectorem, Hiſtoria noſtra vindictis præmiſſo, ut quorundam obmurmurationes repelleret.

II.

LIBELLI SUMMA.

Queritur Molinianus Diſputator, (Pag. 4. 5.) Sedis Apoſtolicæ ſtatuta ab iis Theologis violata, qui aut Scholæ ſuæ placita, tanquam fidei capita dividunt, aut partis adverſæ ſententiam invidioſis hæreſeos, & erroris notis inſarunt.

ANIMADVERSIO.

Quis talis *Græchos de ſediſione querentes?* (Juven.) Mediam libelli partem queribandus Scriptor impendit, ut gratiam Moliniſtico ſenſu ſufficiētem, omnibuſque promiſſe collatam, in fidei dogma tranſformet; gratiamque ſe ipſa victricem, Calviniano luto hærentem oſtendat; & tamen de cæteris violata ſtatuta fidenter expoſtulat, adhibitamque ab ſe ſe ſcribendo moderationem maximam gloriatur. Id ſcilicet lippis proprium eſt, mala ſua oculis inuachis non pervidere, in aliorum autem defectibus, tam certere acutum, quam aut aquila, aut ſerpens Epidaurius.

At ſi tanta illum, ut videri vult, Decreto- rum Pontificiorum religio tenet; quid, queſo, prægravem illam de Divinorum Auxiliorum efficaciã controverſiam, ex inſtituto pertraſtandam aggreditur, Pauli V. Urbani VIII. Innocentii X. ac XII. Decretis inſuper habitis, atque a nemine, quod magis mirere, laceſſitus, ac provocatus? Quid abtruſiora divinæ Gratiæ myſteria, ſubtilioribus Theologis inaccessa, vernaculo idio-

mate commentatur, ipſumque prophanum vulgus in ſapientiæ ſacrarium inducit? niſi forte eſt illa provida ſagacitatis induſtria, ut qui viros eruditos, Auguſtinianorum dogmatum ſtudioſos, ſuis partibus illigare haud potis eſt, illiteratos in Moliniſtium hæſi cereos ſuccenturiat. Idque (quæ ſumma calliditas eſt) hæc præſertim ætate temporum, qua novus in Janeniſinum turbo detonuit: ut dum humanæ libertati noxiã hæreſim iterato fulmine icſtam inaudit conſilii neſcia plebs, Moliniſtium ſervandis arbitrii iuribus plus ſatis intentum, uti puram, caſtamque Eccleſiæ doctrinam, probaturneque damnati erroris antidotum amplectatur. Sic tamen, quod mirandum magis, ſuum ipſe Moliniſtium exercitatis ingeniis ſuſceptum novit, ut mali neſcio quid omnis ipſo ejus nomine contineri, ſua ſatis ſcribendi ratione ſignificet. Cum enim vix toto Libello articulus exeat, quo ſuos ille Molinianos, & Scientiam mediam non ſalutet; ne cui tamen inſulta nomina ſtomachum moveant, arte, ſtudioque quaſita periphrati, verborumque circuitu, non Molinianos, ſed (*Les Théologiens, qui deſcendent le ſyſtème contraire à celui de la Grâce efficace par elle-même . . . La ſcience des vérités conditionnelles.*) Theologos contrarium gratiæ ſeipſa victrici ſyſtema ſtatuentes dicere mavult: non Scientiam mediam, ſed futurorum, quæ libera conditio adjecta eſt, cognitionem appellat. Quæ ſua, ſuoque citare per nomen pudeat.

Cæterum ſi ſua illa queribunda expoſtulatione, Dominicanum Congregationum Hiſtoricum ſugillare hoc loco voluit, (quod conſpicere pronum eſt) injuriam illi haud leviem irrogat. Quamquam enim pro ſuſcepti operis parte, inſtructas in Auxiliorum Congregationibus cenſuras retulerit propemodum inſinitas, quæ Moliniana doctrina uti Semipelagiana inuſta eſt; nunquam tamen eam ex forma juris, atque ex Apoſtolicæ tribunalis, ſancitoque judicio damnatam aſſeruit. Rem totam, ut geſta eſt, ſincere, ac ſimpliciter enarravit; Theologorum placita, Conſultorum cenſuras, meditata judicia, ac demum delineatæ Diplomatiſ Pontificiæ ſpecimen, Lectorem, ut par erat, oculis ſubjicit: at tantum abeſt, ut notatas inibi aſſertiones, hæreticas, aut re ipſa proſcriptas ex animi ſententia dixerit; ut contra potius ſub ipſo Præſationis initio, ac deinceps *paragrapho 12.* diſerte, ac proluxe admodum ſignificet nullam, quod jus attinet, cenſuris illis ineſſe vim, iis adſtringi neminem, Molinæ ſyſtema a ſuis etiamnum defendi poſſe, nullique ſas eſſe invidioſas illi Pelagianismi notas inaurere: ſequè idcirco duntaxat lata judicia paſſim in Hiſtoria prolaturnum ſponſidit, ut unam facti fidem adſtrueret; omni, quod jus attinet, cenſuram, judiciorumque conſideratione ſepoſita. Hinc, & hoc ipſo *paragrapho 12.* Innocentii X. Decretum expendens, quo nullam Auxiliorum Congregationis actis fidem habendam edicit, & ab neutra parte allegari poſſe decernit, pronam illi obedientiam ſpondet, ademptam iis actis juris fidem agnoſcit, ab neutra diſſidentium parte laudari poſſe proſtitetur; quod nempe Auxiliorum controverſia ſemel in ſuſpenſo poſita, fidem in judicio nullam faciant, quæcumque in partem alteram judicia lata ſunt; nec unquam Sententiæ Pontificiæ vim habitura ſint, donec ultima illi ſolemnitas juris acceſſerit. Hocce eſt Romano- rum Pontificum Decreta revellere, & adverſæ parti hæreſeos notam audacius affricare?

III.

III.

LIBELLI SUMMA.

(Pag. 3.) A Romanis Pontificibus ſancitam, Theologos inter de Gratia diſſidentes, pacem obtendit; poſtque tot habitas concertationes torque inſtructa judicia ab iis demum pronunciatum ait, poſſe utriuſque Scholæ ſententiam ex æquo defendi.

ANIMADVERSIO.

Purum id, putumque figmentum eſt, *capite 22, libri 4. Hiſtorie noſtræ* data opera conſutaturn. Non ſtatuta pax, ſed data ad tempus induciã; non ſinita lis, ſed in ſuſpenſo poſita; non lata de Molinæ dogmatibus in erroris ſuſpicionem adductis Pontificiã ſententia, ſed in commodiorem tempeſtatem a Pontifice miſſa. Quid aliud, amabo, ſonat fiducia Pauli V. Reſcriptum ſolutis demum congreſſibus gemini inſtituti præpoſiti datum? In cauſa de Auxiliis Sanctiſſimus Dominus Noſter Diſputantibus, & Conſultoribus ſignificavit, poſſe illos reverſi ad propria. Dixitque *Sancitas ſua SE OPPORTUNO TEMPORE PROMULGATURAM DECLARATIONEM, AC DETERMINATIONEM SUAM;* atque *interim quam ſerio injunxit, ut in hujusce argumenti tractatione nullus partem alteram nota aliqua, vel cenſura aſſicere audeat, &c.*

Diſpar ergo in Eccleſia Catholica utriuſque ſententiæ conditio, Scholarumque judicio certantium jura toto cælo diverſa. Quamquam enim, miſſa in aliud tempus meditariſi judicii promulgatione, neutri parti adjudicata lis dici queat; præſtat tamen interim Actoris, quam Rei conditio; qui- que de ſuſcitato Pelagianismo ex juris forma poſtulat eſt, necdum quoad ſententia prodeat, purgatus obtendi poteſt. Sola quippe ſententiæ denuntiatione purgari reum, notius eſt, quam ut multis demonſtrari neceſſe ſit.

Nec eſt, quod quiſpiam opponat, Pauli V. Reſcriptum utramque Scholam ex æquo petere; aut certe utriusque ex æquo indulgum, ut ſua interim ſenſa ſine alterius morſu tueatur. Id enim reo indultum interim monuit Pontifex, dum meditata ſententia publici juris fiat. Ad hæc cum Moliniana dogmata, in tota cauſa tractatione, ac demum in meditato diplomate Pelagianismi notata ſint; e contra Thomiſtica, ſana, ac plane Auguſtiniana pronuntiata fuerint; conſequens omnino eſt, conſeſſam utrique parti licentiam ſua interim ſenſa tutandi, donec inſtructa ſententia ex juris formulis promulgetur, Moliniane quidem

Scholæ in erroris ſuſpicionem vocatæ, occultoque judicio prædamnata indulgentiam eſſe, tolerantiam, ut ſumme permiſſionem; Thomiſticæ vero eodem judicio comprobata; imo verius nuſquam in ſuſpicionem adductæ; jus ſummum, ac ſtrictum.

Obſervationem hanc noſtram Illuſtriſſimo Rhenenſium Archiepiscopo acceptam ſerimus, Molinæ doctrinam (*Une doctrine, qui n'eſt, que tolérée dans l'Egliſe*) ex ſola Eccleſiæ tolerantia permiſſam pronuntianti, ſolemnis decreto die 15. Julii dato anno 1697. Quin, & hoc addit eruditiffimus Præful inſtituto noſtro percommodum. Equidem Clemente VIII. ad ſuperos vocato, Paulus V. cujus conſilia introſpicere religio nobis eſt, meditaturnm judicium in ſuſpenſo poſuit, & in commodiorem tempeſtatem conſulto diſtulit. At nemo indè citra ſemivirilitatis notam propterea colligit, probatum idcirco fuſſe Librum illum, de quo tandiu fuerat deliberatum. Poſt tam diligenter note ſitis tractationem, ſilentium Romanorum Pontificum approbationis loco jaſtare velle, bonium eſt niſiſ audentium, qui Sedem Apoſtolicam Proteſtantium calumnie committunt, qui eam de contenta jam tandem Auguſtini doctrina, noſiſque Molinæ inveniſtis in animum inductis accuſant.

Lege *capitulum 19. lib. 4. Hiſtorie noſtræ de Divinis Auxiliis*, ubi hanc ipſam Danielis fabulam adravim uſque a Sociis decantatam cumulaturn conſutavimus.

IV.

LIBELLI SUMMA.

(Pag. 6.) Id ſibi poſſiſſime conſtitutum ait, ita gravem illam de divinæ Gratiæ efficaciã controverſiam expedire, atque ad liquidum perducere, ut evoluto demum Libello, de utriusque ſententiæ meritis Lectores facile judicent.

ANIMADVERSIO.

Mirum! Decennio, & eo amplius defudarunt Romani Pontifices, ut gemina Scholæ momenta perpenderent; nec ipſi ſoli, ſed, & conſtituti ab Apoſtolica Sede Cognitores numero multi, dies, nocteſque laborarunt, ut cauſam judicio maturarent. Daniel multarum vigiliarum oneri parcaus, unius duntaxat, alteriſve horæ tradidit, quæ evolendo Libello ſatis erit, expoſcit, ut de tota demum lite judicium ferri queat. Clementis VIII. vicem doleo, cui Daniele Conſultore uti, negarunt ſuperi. O quid perdidit, qui ſe audire non poſuit! Auguſt. *lib. 4. Operis imperf. cont. Julianum* cap. 120.

ANIMADVERSIONES

In tractationem præambulam de Gratia ſufficienti.

V.

LIBELLI SUMMA.

GRATIÆ ſufficientis naturam, quam ex fide Catholica profiteri neceſſe ſit, his verbis exponit. (Pag. 9. & 10.) *Gratiæ ſufficientis nomine ea intelligitur, quæ ſufficiat, quæque id habeat omne, quod ad effectum ſuum edendum neceſſe eſt, hoc eſt, ad actum bonum exerendum, ad quem hominem movere, tamenſi eum reiſpa non edat. . . . Id* Serry Tom. V.

ergo queritur in præſentia, quid nos de iis mere ſufficientibus, & inefficacibus gratiis fides doceat, quibuscum id habeatur omne, quod neceſſe eſt, ut actus, quom nobis inſpirant, exeratur; quibuscum tamen ex venientis voluntatis defectu non edatur.

ANIMADVERSIO.

Quia iſtud ſufficientis gratiæ genus in Scholas invehere totis viribus aditantur Moliniani Profeſſores, quæ ſecum omnia complectatur, quæ ſunt

ad pietatis actum necessaria, nullus dubito. nec esset quod vehementius miraremur, si Daniel more Majorum, eandem nobis fabulam occurreret. Verum quod Scholæ domesticæ opinionem a cæteris quibusque Theologis summo consensu, imo cum stomacho confortatam, uti Catholicæ fidei professionem nobis obrudat, nemo non indignabitur vehementius.

Thomistarum ne vel unum reperire est, qui hanc cum Navaretto assertionem non ponat, multific probare non fatigat. (Tom. 2. Controv. 19. §. 1.) Quod Suarez dicit, auxilium sufficiens includere in se omnia, quæ sunt necessaria ad operationem, falsum est, & contra D. Augustinum. Horum nemo sapientissimi Lemofii de ea sufficientis Auxilii notione a Molinianis tradi solita, iudicio non sponte subscribit: (Tract. 8. de aux. suff. cap. 1.) Non est hoc verum auxilium sufficiens, quod a Theologis recipitur, & usurpatur; sed est illud, quod contra veram Christi Domini gratiam Julianus, Cassianus, & Faustus, & alii Massilienses introduxerunt. Erant ergo Thomistæ omnes, si penes Danielem iudicium est, fidei desertores. Abiit tam audax, tam iniqua censura.

Si quod itaque de Gratia sufficiente Catholica fides habet, Lectorum oculis scire amat Molinianus Disputator, domesticæ Scholæ præjudicia deponat, ejusque naturam ita explicet, ut quæ universi catholice sentientes communi calculo ex fidei regulis ponant, ab iis longe fecernat, quæ pauci, itque novissimi, ex mera Ecclesiæ indulgentia de suo addere permittuntur. Dicit cum Augustino, auxilium esse, sine quo non fit opus, non tamen, quo fit: quo datur homini posse, quod velit, non velle, quod possit: gratiam infirmitatis appellet, non actionis: illustrationem, & excitationem vocet, qua suadet pietatis opus, non persuadetur; invitatur voluntas humana, non trahitur; inspiratur velle, non datur. Aut certe, si Ecclesiæ sensum Scholæ verbis dicere gessit, gratiam actualem, & interiori deponat, qua Deus intellectus illustratione, & voluntatis excitatione, dat homini posse bonum operari, si velit. Iis omnibus Catholicæ fidei professionem explicabit, ac secum Theologos universos consentientes habebit. Verum ubi sacros limites prætergressus hac ipsa sufficienti gratiâ ad omne contineri inquit, quod ad pietatis actum reipsa exerendum necesse sit; non jam Ecclesiæ fidem, ut dicitur, sed domesticæ Scholæ opinionem venditabit, & a reliquo Theologorum choro procul abibit.

V L

LIBELLI SUMMA.

(A pag. ad 19.) Dari reipsa gratias sufficientes, ex facris Literis probaturus, eaque versans Proverbiorum, & Isaie oracula: Convertimini ad correptionem meam . . . vocari, & renuistis . . . Quid est, quod debui ultra facere vineæ meæ, & non feci ei? an quod expectari, ut faceret uvas, & fecit labruscas? Id principii loco ponit: jubere Deum, ac etiam expectare, ut convertamur, & bonos fructus feramus, vi gratiæ sufficientis.

ANIMADVERSIO.

Nos is ego sum, qui gratias sufficientes, germano sensu acceptas, dari negem, easque facris ex Literis colligi posse dicitur; sed Moliniana principia, uti fidei capita Lectoribus instillare male habeo. Deum itaque gratias sufficientes aut præparantem, aut conferentem, obduratorum et-

iam hominum conversionem, ac bona opera non jubere modo, sed expectare, Catholica fides docet: verum isthæc vi gratiæ sufficientis juberi, ac etiam expectari, quasi hujus unius ope reipsa exeri queant, Moliniana Scholæ paradoxum est. Longe aliter Schola Thomistica, quam Catholicam, velit nolit, Daniel non negabit. Huic certo persuasum, quod, & in celeberrimi Auxiliorum Congregationibus propugnavit: (Hisor. de Aux. col. 199. Arvar. Disp. 58. n. 3.) Bonum usum auxilii sufficientis, non esse a solo auxilio sufficienti, sed efficaci: atque idcirco peccatoris conversionem, cæteraque pietatis opera, quæ facris in Literis præcipiuntur, Gratia efficaci ope futura (nisi ejus receptioni obicem posuerit) expectari. Nihil enim, inquit Augustinus lib. 2. contra duas Epistolas Pelagianorum cap. 10. n. 23. in Scripturis sanctis homini a Domino video juberi, propter probandum Libero Arbitrio, quod non invenitur, vel dari ab ejus Bonitate, vel posci, propter adiutorium gratiæ demonstrandum.

Certe qui Deum, concessa semel gratia sufficienti, peccatoris conversionem expectare fabulantur, vi ipsiusmet gratiæ sufficientis, quam is vel nutu solo, vel ob circumstantiarum opportunitatem, efficacem efficiat, in quartum Araucanæ 2. Synodi Canonem impingunt: Si quis, ut a peccato purgemur, voluntatem nostram Deum expectare contendit; non autem ut etiam purgari volumus, per Sancti Spiritus infusionem, & operationem, in nobis fieri consuetur, resistit ipsi Spiritui Sancto per Salomonem dicenti: Præparatur voluntas a Domino; & Apostolo salubriter predicanti: Deus, qui operatur in nobis velle, & perficere pro bona voluntate (apud Labb. Tom. 5. pag. 809.) Quæ de re plenius Animadversione 26.

Cæterum si querat ex me, ut quid Deus id expectet a peccatoribus, quod gratiæ efficaci opus, qua distituti supponuntur, exerendum esset? repenam, quia, & hanc quoque concedere paratissimus est, nisi, & hac ipsa destitit, sua iniquitate mererentur. Ita Augustinus lib. 2. de peccatorum meritis, & renuist. cap. 17. Ut autem innotescat, quod latebat, & suare fiat, quod non delectabat, gratia Dei est, que hominum adiuvat voluntates: qua ut non adjuvantur, in ipsis iudicium causis est, non in Deo, sive damnandi prædestinati sint propter iniquitatem superbia; sive contra ipsam suam superbiam iudicandi, & erudiendi, si filii sint misericordie. Cujus quidem Augustiniana sententia rationem vere angelicam subministrat Doctor Angelicus in 1. Sent. dist. 40. q. 4. art. 2. Hominem carere gratia ex duobus contingit: Tam quia ipso non vult recipere: Tam quia Deus non sibi infundit, vel non vult sibi infundere. Horum autem duorum talis est ordo, ut secundum non sit nisi ex suppositione primi. Cum enim Deus non velit nisi bonum, non vult istum carere gratia, nisi secundum quod bonum est: sed quia iste carere gratia, non est bonum simpliciter: unde hoc absolute consideratum non est volitum a Deo. Est tamen bonum, ut careat gratia, si eam habere non vult, vel si ad eam habendam negligenter se præparat: quia iustum est, & hoc modo est volitum a Deo. Patet ergo, quod hujus defectus absolute prima causa est ex parte hominis, qui gratia caret: sed ex parte Dei non est causa hujus defectus, nisi ex suppositione illius, quod est causa ex parte hominis.

Addiderim, quo magis Danielis argutiæ vanitatem experiamur, ad statuenda fidei capita minus efficax argumentum ex Scripturæ parabolis peti, nisi in sensum a Spiritu Sancto intentum accipiuntur. Porro tamen vineæ figura, de qua Isaie 5. sermo venit, quicumque peccator per transi-

bitæ nomine, internæ, queis tangitur, gratiæ accipi possint, domum nihilominus Israelis, sacra illa parabola vere, ac juxta literam adumbrari perspicuum est: Vineæ enim, subjungit Isaia parabole sensum aperiens, Domini exercituum, domus Israel est: cultusque nomine impensa Israeli beneficia designari, perinde certum. Hæc autem nulla internarum gratiarum mentio facta, ad tria præfertim capita revocat D. Thomas; (In Isaia) ad terra videlicet Israelitis attributâ fertilitatem, Angelorum custodiam, & Regiam dignitatem. Quis ergo Danielem non rideat de gravi supercilio pronuntiantem pag. 18. Manifestum est, vineæ cultum eo Scripturæ loco memoratum, gratias ipsas esse, queis Deus prevenit peccatorem? Imo id longe manifestius, non posse sacrum oraculum, animæ peccatrici, gratiisque internis, nisi per translationem accommodari. Num autem vi gratiæ sufficientis præcipiat Deus, quæ præcipere iuste non possit, nisi eam ad implenda, quæ iusserit, largiatur, Animadversione 9. data opportunitate declarabimus.

V I I

LIBELLI SUMMA.

(Pag. 21. & 22.) Gratias sufficientes ex Can. 25. Concilii Araucanæ probandas sibi sumit, his verbis expresso: Hoc etiam secundum fidem Catholicam credimus, quod accepta per Baptismum gratia omnes baptizati, Christo auxiliante, & cooperante, que ad salutem pertinent, possint, & debeant, si fideliter laborare voluerint, adimplere.

ANIMADVERSIO.

Perperam profus, atque immerito. Neque enim ea Canonis verba, Christo auxiliante, & cooperante, de gratis actualibus, ac mere sufficientibus accipi possunt; sed de habitualibus, & efficacibus, quæ ad pietatis, & salutis opera exerenda sunt necessaria. Quis enim cooperantem gratiam mere sufficientem appellat, quæ det tantum posse si volumus, non velle, quod possumus? cum Augustinus lib. de Gratia, & Lib. Arbit. cap. 17. diserte pronuntiet: Cum autem volumus, & sic volumus, ut faciamus, nobiscum cooperatur: tamen sine illo vel operante, ut volumus, vel cooperante cum volumus, ad bona pietatis opera nihil valeamus. Quis Deum cooperari per gratiam sibi fingat homini, nec volenti, nec operanti; quod utique ponere necesse fuerit, si qua gratia cooperans mere sufficientis asseratur? Actuale itaque gratiam efficacem insinuari eo loco liquet, aut certe habituale, quam suo quoque sensu cooperantem ostendit Doctor Angelicus 1. 2. q. 111. a. 2. Si accipiatur gratia pro habituali dono, sic est duplex gratiæ effectus, sicut, & cujuslibet alterius forme: quorum primus est esse, secundus est operatio. . . . Sic igitur habitualis gratia, in quantum animam sanat, vel justificat, sive gratiam Deo facit, dicitur gratia operans; in quantum vero est principium operis meritorii, dicitur cooperans.

Laudati itaque Canonis sensus est, Christianos, vi sacri Baptismatis peculiari quadam ratione, facultateque magis expedita, posse, quæ ad salutem pertinent, adimplere, præsidio videlicet gratiarum, cum habitualium, tum actualium efficacium, quæ illis proculdubio præsto sunt, nisi culpa sua sacræ regenerationis stolam amiserint. Aliunde enim, si rem absolute, ac simpliciter spectes, quotquot etiam Sacramento regenerationis expertes impiam vitam degunt, possunt, quæ ad salutem pertinent, adimplere; nemoque om-

Serry Tom. V.

nium unus est, cui divina mandata impossibilia dici queant. An vero ex ea, quæ omnibus inest, implendorum mandatorum potestate, gratia sufficiens omnibus obvia possit extitisse, examinabitur loco suo. (Animadv. 9. & 13.)

V I I I

LIBELLI SUMMA.

(Pag. 22.) Idem probandum instituit ex Concilio quarto Lateranensi, capite Firmiter, cujus sunt hæc ipsa verba: Si post susceptionem Baptismi quisquam prolapsus fuerit in peccatum, per veram penitentiam semper potest reparari.

ANIMADVERSIO.

Si cui gratia sufficiens actualis, atque interna hoc loco subolet, quia forte sancitum legit, posse semper baptizatum hominem amissam regenerationis gratiam reparare; is quoque sibi fingat necesse est, internas superni ordinis gratias sufficientes, illustrationes videlicet mentis, ac piæ voluntatis excitationes semper, ac quovis momento scelestissimis, & obstinatissimis peccatoribus, quales heu! inter baptizatos multi sunt, præsto esse. Quod quis credat?

Id unum itaque sibi vult sacra Synodus, posse semper peccatorem per veram penitentiam reparari, quia vera penitentia gratiam accipere semper potest, ejusque culpæ semper tribuendum, si minus accipiat; Deo nimirum concedere paratissimo, nisi iusto iudicio retrahatur. Interpretamentum ex D. Thomæ principio sumptum est, quest. 6. de Veritate art. 3. ad 7. Dicendum quod aliquando potest dici posse dupliciter: Uno modo considerando potentiam, quæ in ipso est, sicut dicitur, quod lapis potest moveri deorsum: Alio modo considerando id, quod ex parte alterius est; sicut si dicerem, quod lapis potest moveri sursum, non per potentiam, quæ in ipso sit, sed per potentiam proficientis. At de his plura Animadversione sequenti & 13.

I X

LIBELLI SUMMA.

(Pag. 23.) Concilii Tridentini oraculum advocat, sessione 6. de Justificatione capite 11. exaratum: Deus impossibilia non jubet, sed jubendo monet, & facere, quod possit, & petere, quod non possit: unde hæc consequentiam eligit, quæ gratias sufficientes evincat: Dum implendum, aut violandum divinum mandatum occurrit, gratia nobis præsto est, quæ implendi potestatem donet; aut certe orationis gratia datur, ut altera gratia postuletur a Deo, quæ eam nobis conferat potestatem.

ANIMADVERSIO.

Mirari subit, consecutionem hæc uti dogma catholicum venditari, quam uti falsam, & absolutam negat Theologorum pars nobilissima. Certe Lovanienfes, ac Duacenes in censuris adversus Lessium, & Hamelium adnotatis, Estius in 2. Sent. dist. 26. Sylvius 1. 2. q. 109. art. 4. Bellarminus lib. 6. de Gratia, & Libero Arbit. c. 15. & alii, quos recensere longum esset, implendorum mandatorum potestatem, quæ universis, vel scelestissimis hominibus inest, aliunde quam ex immixtis, quoties præceptum incumbit, illustrationibus, atque excitationibus, derivarunt. Quotquot etiam induratos, & obcecatos, omni, ad certum saltem vitæ tempus, interiori gratia destituti pro-

V v v 2

fitem.

sintur viri Theologi, (quos sane nec paucos, nec infimi nominis esse, jubente Eminentissimo Cardinali Noallio, publico instrumento declarare compulsi est Gabriel Beschepierus Soc. Jesu, die 3. Aprilis 1700.) eos nihilominus gravissimum criminum reos habent, quæ divinorum mandatorum violatione, in hoc ipso desertionis statu, indefinenter admittunt.

Quid quod Augustinus, toties a Pelagianis lacessus, trita illa, ac perulgata accusatione; præcepta ex ipsius sententia fore impossibilia peccatoribus, utpote quos gratia illa destitui contingat, quam ad illa implenda necessariam statuebat; nusquam ad præsentem quibusvis hominibus illustrationem, excitationemque confugit, ut hæc ipsi possibilia demonstraret?

Nusquam etiam Doctor Angelicus, in exponenda divinorum præceptorum, ut ipse loquitur, possibilitate, ad communem universis hominibus actualem gratiam confugisse legitur. Imo illos ipsos divinorum mandatorum violatione peccare contendit, quos Deus in præcedentium delictorum poenam gratia etiam sufficienti destituit, seu illo ipso auxilio sine quo, cujus mentionem ingerit Augustinus libro de Correctione, & Gratia cap. 12. Dicendum, inquit D. Thomas 2. 2. quæst. 2. art. 5. ad 1. quod si in potestate hominis esse dicatur aliquid exclusivo auxilio gratiæ, sic ad multa tenetur homo, ad quæ non potest sine gratia præparare, sicut ad diligendum Deum, & proximum: & similiter ad credendum articulos fidei, sed tamen hoc potest cum auxilio gratiæ, quod quidem auxilium quibuscumque divinitus datur, misericorditer datur; quibus autem non datur, ex iustitia non datur, in poenam præcedentis, aut saltem originalis peccati, ut Augustinus dicit in libro de Correctione, & Gratia.

Quam itaque turpiter hallucinantur, qui quoties homini possibile mandatum inaudiunt, toties præsentem eidem sufficientem gratiam colligunt: quasi hæc una statuenda, probandaque implendi mandati potentia ratio suppetat, eaque negata homini gratia divina mandata impossibilia censentur!

Qui cumulatam hujus argumenti tractationem legere amat, consulat Historiam nostram de divinis Auxiliis in additis a pag. 82. ad 114. ubi hæc duo omni argumentorum genere demonstravimus: 1. ut peccatum divinorum mandatorum violatoribus imputetur, nullam supernaturalem mentis illustrationem, aut excitationem voluntatis esse necessariam: 2. impotentiam voluntariam, seu propria iniquitate contractam, obduratos, & excæcatos a peccato non excusare.

Nihilo felicium orationis gratiam, quibusvis peccatoribus obviam, quoties præceptum incumbit, ex ea sacre Synodi fractione colligit Theologus Molinianus, idque uti fidei caput nobis occentat. Quasi vero, nisi hæc, ut minimum adsit, qua implendi mandati potentiam cælo devocent, mandatum impossibile censetur, ejusque violatio nulli culpæ subiaceat. Commentum hoc non alata modo considerationes evertunt, sed, & sequens præcipue, cuius vel mediocriter erudito situm obvia.

Implendi mandati lege non iusti modo, atque fideles, sed, & mortalium sceleratissimi excæcati, hæretici, athei etiam, atque gentiles, pro sua quique conditione tenentur; ac ni implent, peccato subjacent. Equis tamen illos, quoties præceptum incumbit, quoties peccant, piis illis ad orandum Deum cogitationibus, & affectionibus excitatos effutit? Quis Gentiles, Deum verum ignorantes, Atheos nomen omne perfractæ negantes, de illo tamen orando sæpius cogitare sibi

figat; dicente Apostolo ad Rom. cap. 10. *Quomodo invocabunt, in quem non crediderunt? Quis Philosophos illos, qui mandum negabant providentia regi, quique pro virtute neminem unquam Deo supplicantes sentiebant, de orando tamen pro virtutibus Deo, sæpius die quavis excitatos existimet? Quis Pelagianos gratiam ad peccata vitanda necessariam diffidentes, de hac tamen quotidie imploranda cogitasse dicat? Quis demum Nerone, Caligulam, Heliogabalum, aliaque hujusmodi hominum monstra, tum cum in omnium fordium, & flagitiorum cæno se volutarent, sextentias in dies piis ad orandum motibus agitados fibuletur? Perperam igitur sufficientem ad orandum gratiam omnibus obviam, ex implendorum mandatorum lege colligit novorum fidei dogmatum fabricator.*

Neque juvat, quod aliquibus venit in mentem, mortalium sceleratissimos, ipsosque gentiles, ac barbaros, his illustrationibus, & excitationibus cæciliis immixtis quotidie perfundi, sed ad eas minus attendere. Id quippe doctè refellit Cardinalis Bellarminus lib. 2. de Libero Arbitrio cap. 6. *Dicunt aliqui, Deum quidem perpetuo pulsare ad ostium cordis, & peccatores vocare, sed eos aliis rebus intentos non percipere vocationem. . . Sed hoc responso cum ipso experimento aperissime pugnat, nam cum vocatio, pulsus, tractus, excitatio illa Dei, sit actio nostra, quamvis non libera, nimirum bona cogitatio, bonumque desiderium, repente, ac divinitus immixtum; quomodo potest fieri, ut non sentiat a nobis, si fit non solum in nobis, sed etiam a nobis? En in quantas angustias adiguntur, ut gratiam saltem orationis in omnes divinorum mandatorum transgressores effusam, positam dicant, in excitatione, quæ non exciret, in cognitione, de qua minime cogitetur, in piis denique motibus, qui ab illis ipsis, qui moventur, nullatenus sentiantur: quasi vel fieri possit, ut quis exciteatur non excitatus, cogitet incogitatus, immotus denique moveatur?*

Qui ergo, inquit, germanus Tridentinæ Synodi sensus erit, dum ait: *Deus impossibilia non jubet, sed jubendo monet, & facere, quod possis, & petere, quod non possis?* Respondeo, duplex: Prior quidem ab instituta de gratia sufficienti quaestione, toto cælo disjunctus, ab Estio in 3. Sent. dist. 27. & Bellarmio lib. 4. de Justificatione cap. 10. propugnatus, ut videlicet de iustis in accepta iustitia perseverantibus intelligatur, a quibus divina præcepta servari dicuntur, adeoque non esse illis impossibilia, uti Lutherani stolide delirabant; qui iustis omnibus, etiam dum spiritu Dei aguntur, divina mandata esse impossibilia contendebant, quod singulis illorum actus concupiscentiæ veneno infectos arbitrarentur. Alter Canonis sensus est, ut de quibuslibet fidelibus accipiatur, quibus præcepta possibilia dicuntur, quia per gratiam efficacem, quam aut habent, aut certe implorare jubetur, impleri reipsa possunt. Augustinus enim libro de Natura, & Gratia capp. 42. & 43. unde sacre Synodi definitio expressa est, potestatem cum effectu conjunctam intelligit. Unde autem implendorum mandatorum ab effectu sejuncta potestas, quæ peccatoribus etiam inest, repetenda veniat; nihil eo loci statuit sacra Synodus, ex quo decretorium pro gratia sufficienti argumentum exeri possit. Neque enim iis vocibus: *Deus jubendo monet petere, quod non possis*, significatur, orandi gratiam, quibuslibet peccatoribus semper adesse, dum agendi gratia sunt destituti. Aliud namque est *admonere*, aliud *gratiam dare*: aliud Lex jubens, aliud spiritus adjuvans. Hæc si quis promittit confuderit, universam Apostoli, & Augustini doctrinam eversum ibit.

X.

X.

LIBELLI SUMMA.

(Pag. 24.) Alterum eodem ex capite sacre Synodi oraculum laudat: *Deus namque sua gratia semel justificatos non deserit*: cui glossema istud ad sufficientem gratiam inde colligendam, appingit: *Deus porro justificatos deserere censendus esset, si gratiam implendi præcepti, dum instat occasio, demegaret.*

ANIMADVERSIO.

Ita-ne Tridentina Synodus, semel justificatos a Deo minime deserit, simpliciter dixit; unde quis forte colligat, iustitiam ab ea definiti, quæ nunquam excidat, nunquam amittatur? Quid subiecta Synodi verba, quæ suspensus periodi sensus absolvitur, Danieli hæere calamo, nisi ab eis prius deseratur? Inde quippe contrarius sensus efficitur; Deum nempe justificatos ipsos, certo quodam sensu, aliquando deserere, dum nimirum ab eis prior ipse deseritur.

Sed age sædam, ac studiosam sacre Synodi mutilationem condonemus. Perperam sacrum oraculum ad solam actualem, & sufficientem gratiam detorqueatur, quod de habituali, qua formaliter, ut Schola loquitur, iusti sunt, a præstantissimis Theologis explicatur: ut videlicet sensus sit, Deum sua gratia semel justificatos non deserere, iustitiam habitualement, per quam iusti sunt, subtrahendo, nisi per mortale peccatum prius deseratur ab eis. Ita Estius in 2. Sent. dist. 26. §. 44. Sylvius in 1. part. quæst. 23. art. 5. Alvarez disp. 110. n. 19. Nugno 3. part. quæst. 26. art. 5. Nazarius 1. part. quæst. 23. art. 5. Ledesma de Auxiliis art. 12. ad 7.

Ecquo vero pacto gratiam sufficientem, qualem præsertim Daniel comminifcitur, quæ nunquam homini etiam sceleratissimo prælo non fit, sacra Synodus statuerit? Certe si hæc illi mens esset, non utique pronuntiasset, *Deum sua gratia semel justificatos non deserere, nisi ab eis prius deseratur*: sed contra potius, Deum sua illa sufficienti gratia semel justificatos, imo vel ipsos sceleratissimos homines nunquam deserere, quantumvis ab eis ille deseratur.

X I.

LIBELLI SUMMA.

(Pag. 26.) Laudata primæ propositionis Jansenianæ damnatione, hanc ex adverso Ecclesiæ Catholice doctrinam esse contendit: *Nulla Dei præcepta iustis esse impossibilia*; quippe orationis gratiam saltem habent, ut implendi, dum instat occasio, præcepti gratiam obtineant.

ANIMADVERSIO.

Propositionis Jansenianæ damnationi subscribo ex animo: verum Molinianum interpretamentum, tanquam Ecclesiæ fidem obrudiri, moleste fero. Nulla Dei præcepta iustis volentibus, & conantibus, secundum præsentem, quas habent vires, esse impossibilia, gratiamque, qua possibilia fiunt, non deesse, Ecclesiæ fidem agnosco, pro qua sanguinem fundere mihi votum est. Iisdem actualem gratiam ad orandum, sensu Thomistico sufficientem adesse, ut nimirum possit orare si velint, certo profiteor. Verum gratiam ad orandum sufficientem talem illis adesse, quæ (quod

Daniel satis innuit) ad orandum reipsa sit satis, ut implendi præcepti efficacem gratiam cælo devocent; quasi orandi reipsa, & implendi mandati gratiæ eo nomine distinguantur, quod illa sufficienti tantum, atque versatili, ita efficax censetur; non fidem Ecclesiæ, sed Molinianæ Scriptoris commentum agnosco.

Utramque perinde efficacem novisset Daniel, si animos intendisset. Qui enim pag. 8. efficacem ad implenda mandata gratiam novit, præsertim quod Ezechielis 36. scriptum legitur: *faciam, ut in præceptis meis ambuletis*; quidni quoque efficacem ad orandum gratiam intellexit, dum ita supplicentem Ecclesiæ animadvertit: *fac nos ea, quæ vobis sunt placita, postulare*? Qui efficacem actionis gratiam hæc Apostoli verdis expressam agnovit: *operatur in vobis velle, & perficere*; quidni orandi gratiam non abstinenter efficacem, altera illa Apostoli phraasi multo luculentius commendatam deprehendit, qua Deum orandi affectum ita in nobis operari docet, ut non tam nos, quam Spiritus Sanctus in nobis orare dicatur? Ad Romanos 8. *Spiritus adjuvat infirmitatem nostram*: nam quid oremus sicut oportet, nescimus: sed ipse Spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus. Quo quidem eruditus oraculo D. Augustinus, orationis gratiam, & ipsam efficacem esse tandem agnovit, Epist. 194. ad Sixtum: *ita dictum est interpellat, quia interpellare nos facit. . . Adjuvator igitur Spiritus Sancti sic expressum est, ut ipse facere diceretur, quod ut faciamus, facit*. Distinctius vero, atque ad institutum nostrum magis apposite Divus Fulgentius lib. 2. de Veritate prædestinationis, & gratiæ, cap. 4. *Dum præcipitur nobis, ut volumus, ostenditur quid habere debeamus: sed quia id ex nobis habere non possumus, adnonemur, ut a quo nobis datur præceptum, ab ipso petamus auxilium; Quod tamen non possumus petere, nisi Deus in nobis operetur, & velle*. Videat ut orandi non fecus ac implendi præcepti gratiam perinde efficacem esse contendit; eaque non semper præsentem, ac quovis sese momento ingereantem, sed dum orandi affectum Deus operatur in nobis?

X I I.

LIBELLI SUMMA.

(Pag. 28.) Ex tertiæ propositionis Jansenianæ damnatione, gratiam sufficientem hoc ratiocinio colligit: *Inde manifestum est, Ecclesiæ doctrinam esse, ad merendum, vel demerendum, libertatem a necessitate requiri, hoc est, ad peccandum, vel demerendum divini præcepti violatione, desiderari, ut a mandati violatione abstinere possim: habeo igitur, dum præceptum transgredior, ejusdem implendi potentiam; cum porro nisi gratia beneficii datam non habeo.*

ANIMADVERSIO.

Spisso errore libertatem a necessitate, quam ad merendum, vel demerendum necessariam, eo iudicio sanxit Ecclesiæ, cum gratia sufficienti confundit: nativam scilicet animæ dotem, versatilem ad utrumlibet facultatem, naturæ rationali congenitam, cum gratuito beneficio. Quis id a quo animo ferat? Infideles, quæ nunquam Evangelii lumen affulit, peccatores obduratos, & excæcatos, admittuntur delictorum culpa teneri, adeoque libertate ad demerendum necessaria præditos esse, nemo negaverit, illos tamen gratia sufficienti destitui, Ecclesiæ permittere, ne dicam probante, propugnat Theologorum illustrium bona

bona pars : non itaque Ecclesie Catholice sententia est, libertatem ad demerendum necessariam nihil a gratia sufficienti distingui, aut illa sublata non stare.

His ferme momentis, omnia quippe non reprobo, sufficientem gratiam (quam modo ne perperam accipiat, lubenter admitto) ex sacris Litteris, Ecclesieque decretis pessime colligit. Et tamen, si superis placet, vitreas argutias, e sacris illis fontibus misere deductas, vana, ac prope Thrafonis ostentatione concludit: (Pag. 29.) *Eri certe absolutissimas, si quas habet Theologica disciplina, demonstrationes: demonstrationes dico, non humana ratione nitas, sed Scripturis, ac fidei definitionibus fultas, evidenter perinde, ac necessaria consecutione delibatas.*

XIII.

LIBELLI SUMMA.

(Pag. 36.) Id principii loco statuit, *solum sufficientem gratiam potestatem conferre; peccatoribus quidem, ut convertantur, reprobis, ut salventur, iustis, ut in accepta iustitia perseverent. Quin etiam subiungit, Catholicos Theologos plane omnes huic hæsiste firmiter, ut Calvinum sufficientis gratie derisorem impetent.*

ANIMADVERSIO.

Bellum profecto! Non sunt ergo Catholicis Theologis adnumerandi Estius, Sylvius, Bellarminus, alique bene multi, de quibus *Animadversio* g. sermo fuit, qui conversionis edendæ, ac salutis obtinendæ potentiam, quæ nulli, vel obstinatissimo, quædam mortalem hanc vitam ducit, denegat, aliunde quam ex gratia sufficienti, quæ singulis præsto sit, derivarunt.

Certe quosdam saltem in præsentia auxilio sufficiente destitui, in originali peccati poenam, discessa Augustini sententia est, *lib. de Corrept., & Gratia cap. 11.* ubi de hac ipsa sufficienti gratia, seu, quod idem est, de adiutorio, *sine quo non fit opus, non quo fit,* quæstionem instituens ita scribit: *Si autem hoc adiutorium, vel Angelo, vel homini, cum primum facti sunt, desuisset; quoniam non talis natura facta erat, ut sine divino adiutorio posset manere si vellet, non utique sua culpa cecidissent; adiutorium quippe desuisset, sine quo manere non possent. Nunc autem, quibus deest tale adiutorium, jam poena peccati est; quibus autem datur, secundum gratiam datur, non secundum debitum: Quinam illi fiat, ac quam diu in fatali illo desertionis statu versentur, haud expendo, nec præsens postulat institutum: hoc dico tantum, illos ex Danielis Theologia, nullo pacto tunc temporis posse salvari, æternamque, quæ cunctis parata est, felicitatem adipisci; siquidem auxilio sufficienti, quo solo potestas illa conferretur, sunt destituti. Cum tamen ex Theologorum omnium assensu nemo mortalium, vel unus sit, qui quandiu mortalem hanc vitam degit, ad Deum converti, æternamque felicitatem adipisci non possit.*

Non unus igitur gratie sufficientis ope sua cuique potestas inest, peccatoribus quidem, ut convertantur, reprobis, ut salventur, iustis, ut in accepta iustitia perseverent; sed ex aliis quoque capitibus.

I. Externa, ut ita dixerim, potestate: quia quandiu in hac luce versatur homo, & fidei, & conversionis, & perseverantiæ gratiam accipere semper potest: eisque semper culpæ tribuendum, si minus accipiat. Quod Scholæ Angeli testimo-

nio confirmavimus Animadversione nona.

II. Interna, ac interim remotissima potestate, Libero nimirum Arbitrio unicuique congenito. Est enim converti re ipsa se solo non possit, nisi divina gratie præsidium accesserit; id tamen in optimi amici, ac Domini manu positum est. Quod autem per amicos possumus, per nos ipsos posse censetur; maxime si liberali, ac generosa indole sint, atque ad largiendum paratissimi.

III. Viciniori potestate per fidem: quia fidelis oratio potest necessaria quæcumque auxilia obtinere. Hinc Augustinus *lib. de Gratia, & Libero Arbitrio cap. 16.* Magnum, inquit, aliquid Pelagiani se scire putant quando dicunt, non jubet Deus, quod scire non posse ab homine fieri. Quis hoc nesciat? Sed ideo jubet aliqua, quæ non possumus; ut noverimus quid ab illo petere debeamus. Ipsa est enim fides, quæ orando impetrat, quod Lex jubet.

IV. Longe viciniori potestate per gratiam sanctificantem, iusti quicumque & implere mandata, & in accepta iustitia perseverare possunt. Tum quia ad ordinem supernaturalem evecti, ac divinæ naturæ participes facti, habituale agendi principium habent, quo possunt illo in ordine bonum agere, & quæcumque præcepta sunt, adimplere: tum quia contracta cum Deo amicitia titulo, jus veluti quoddam habent, ad actualia, quæ sibi hic, & nunc necessaria sunt adiutoria, ut bonum re ipsa perficiant. Non quod illa Deus homini debeat tamen iustissimo, sed quod sibi ipsi debitor sit, suisque promissis, & coalita amicitia legis deesse non possit. Quocirca Augustinus Enarratione in *Psal. VII.* vericulum illum Regii Vatis exponens, *justum auxilium meum a Domino, hoc inter auxilia iustis, ac peccatoribus data discrimen instituit, quod illa iustitiam quodammodo sint, ista unius misericordiam. Ibi, inquit, misericors auxilium est, quia nullum habet meritum peccator, qui adhuc iustificari desiderat, credens in eum, qui iustificat impium: hic autem justum auxilium est, quia iam iusto tribuitur. Dicat ergo ibi peccator Salvum me fac, Domine, propter misericordiam tuam: & dicat hic iustus Justum auxilium meum a Domino.*

Quatuor istis recensitis potentia modis, is quinto loco succedit, qui gratie sufficientis ope confertur; quam demum ille coronat, ac profus absolvit, qui gratie se ipsa victricis beneficio datur; quo nimirum potestas ipsa transfertur, actuique conjungitur.

Quis itaque Daniele æquo animo ferat, solum nobis sufficientem suam gratiam obrudentem, ejus unius ope sua cuique potestas inest, peccatoribus quidem, ut convertantur, reprobis, ut salventur, iustis, ut in accepta iustitia perseverent; quodque dolendum magis, hoc ipsum figmentum, Theologorum plane omnium Calvinii debellatorum nomine venditantem?

Neque favet stabiliendo figmento laudatum ex D. Augustino celebre dictum *lib. de Gratia, & Lib. Arbitr. cap. 4.* Homo gratia juratur, ne sine causa voluntati ejus iudicetur: quod is pessima fide gallice reddit: *Dieu commenderoit en vain a l'homme, s'il ne le secourait en même tems par sa grace: quasi vero toties infidelibus quibuscumque, atque obtinatisimis peccatoribus præsentem adesse gratiam dixerit sanctissimus Præsul, quoties præcepto tenentur. Absit. Sed id unum eo dicto significat; nunquam nisi opitulante gratia præceptum impleri; quamquam ea bene multos destitui sua culpa contingat, quibus idcirco præcepti transgressio, vitio vertitur, uti sexta Animadversione notatum est.*

A N I -

In tractationem de Gratia efficaci.

XIV.

LIBELLI SUMMA.

SYSTEMA gratie seipsa efficacia, quo sensu a Thomistis (Pag. 45. 46. 48.) asseritur, obsecrum, confusum, & captu difficillimum dicit: quia quam seipsa efficacem, suæque ipsius natura cum effectu certissime conjunctam appellant, nullam tamen voluntati necessitatem inferre contendunt. Scilicet duo hæc mutuo pugnare putat, sequæ illorum conciliationem nondum intelligentia affectum proficere.

ANIMADVERSIO.

Scholæ Thomisticæ invidiam constare fatagit Theologus Molinianus, quo ex capite se illa circumspicit, & Augustini magisterio gloriatur. Illud quippe sanctissimus Doctor efficacia gratie genus propagavit, quod cum humana libertate difficillime conciliari fassus est. *Ista questio, inquit, lib. de Gratia Christi cap. 47. ubi de arbitrio voluntatis, & Dei gratia disputatur, ita est ad discernendum difficilis, ut quando defenditur Libero Arbitrio, negari Dei gratia videatur; quando autem asseritur Dei gratia, Libero Arbitrio pœtur anserri.* Quibus paria scribit *lib. de Prædestinatione Sanctorum cap. 14. lib. 2. de peccatorum meritis, & remiss. cap. 18. & Epistolis 214. & 215. ad Valentinum Abbatem.* Tantumque abest, ut eum a sententia dimoverit objecta toties a Pelagianis conciliationis difficultas, ut se eo maxime titulo cum Apostolo paria sentire contenderet. Quare procul ab Augustino abire convincuntur Scholæ Molinianæ Professores, qui faciem, & quibusvis obviam efficacis suæ gratiæ cum humana libertate conciliationem ostentant.

Neque tamen, quæ captu difficillima est, gratia se ipsa victricis cum humana libertate conciliatio, impossibilis repetenda venit. (*Vide Animadvers. 34.*) Certe congenitam virtutis alicujus efficaciam, eisque cum effectu infallibilem ex ipsa sui natura conjunctionem, una cum motu voluntatis indifferentia, eisque in partem alteram potestate coherere, pauca hæc, ut rationes theologicas misis faciam, exempla demonstrant.

I. Verbum divinum virtute suapte natura efficaci, Christi humanitatem ad omnes ejus operationes applicabat, ut plane repugnaret moventi Verbo humanam non obsequi voluntatem: Quis tamen humanæ in Christo voluntatis actus, liberos neget, indifferenti ad agendum, & non agendum potestate elicitos?

II. Naturalis, ac etiam personalis Christi Domini impeccantia ita intima ratione, suæque ipsius natura cum divini præcepti observantia conjuncta erat, ut spectata intima impeccantia conditione repugnaret in Christo præcepti transgressio. Nemo tamen divini præcepti observantiam Christo necessariam effutire audeat.

III. Divina vis, quæ Spiritus Sanctus Canonicis Scripturis adest, se ipsa efficax est, cum effectu suo, hoc est, indeficienti sermone ex ipsa sui natura ita conjuncta, ut plane pugnet, spectata divini præsidii efficacia, ut si scribendo fallantur, & errent. Nemo tamen Canonicos

Scriptores necessitate ductos, & libera in scribendo facultate delicturos effutiet.

IV. Æternum Dei decretum, quo electos suos prædestinat ad regnum, ita intima sui natura cum æterna illorum salute conjunctum est, ut plane pugnet, electum decreta sibi forte, atque felicitate excidere. *Horum enim, ut scite loquitur Augustinus lib. de Corrept., & Gratia cap. 7. Si quisquam perit, fallitur Deus: sed nemo eorum perit, quia non fallitur Deus. Horum si quisquam perit, vitio humano vincitur Deus: sed non eo eorum perit, quia nulla re vincitur Deus.* At hos nihilofacias salvari libere, fidei caput est.

V. Gratia congrua, si Molinianis fides est, ex directione Scientiæ Mediæ alicui concessa, iis in circumstantiis, quibus prævisus est consensus, tam intimo nexu cum futuro voluntatis assensu conjuncta est, ut fieri omnino non possit, ut cum voluntatis dissentiu gratia congrua componatur: alias, & Scientiæ Mediæ falleretur; & gratia congrua, congrua re ipsa non esset. An non tamen suum illud systema cum humana libertate stare contendunt?

Hæc si Daniel intelligentia fatis assequitur, gratia se ipsa victricis cum humana libertate concordiam facilius assequetur. Si minus, ingenii tarditatem causari pergit; rogabimus, ut tot eruditissimos viros, qui strenuam in ea exponenda, probandaque concordia operam posuere, læsitare, ac, si potis est, resellere ne gravetur. Illiberalis enim ingenii est, aliena, quæ palato non sapiunt, ridere dogmata, ludisque, ac factis ludere; nihil tamen interim, quo resellantur, obijcere. *Non tamen laboras, ut me intelligas, quod facillime potes; sed laboras, ut me resellat, quod non potes.* Augustinus *lib. 32. Operis imperfecti contra Julianum cap. 139.*

XV.

LIBELLI SUMMA.

(Pag. 58. & 59.) *Calvini systema, inquit Daniel, de gratia necessitatem inferente Gallos Protestantibus, si qui forte sint, minus sollicitas habet. Eo in capite, scilicet sua minus pertinaciter adhaerescunt.*

ANIMADVERSIO.

Sic sane veritas habet. Protestantibus, depositis præjudiciis, pristinos eo in capite Reformatorum suorum errores exuisse, cetero liquet. Verum id scivisse Daniele oportuit, dum Epistolam Ordinis Prædicatorum Præposito Generali inscriptam evulgavit. Ab inficeta declamatione temperasset, quæ rem Polemistarum omnium suffragio comprobatur, uti merum, putumque paradoxum sugillavit; nec Dominicano divinarum Auxiliorum Historico successisset, quod idipsum quarto Historiarum libro demonstrandum aggressus esset. At carpenti cacoethes Molinianii declamatoris animum in transversum egerat.

XVI,

LIBELLI SUMMA.

(Pag. 74. 75.) Gratia se ipsa efficacia nomen a Galvino omnium primo usurpatum observat. Adeoque mirandum ait, Theologos nonnullos mali omnis vocem, uti peculiarem orthodoxae doctrinae notam consecrassent, eandemque vel certam, veramque sanioris Theologiae tesseram ostentare. Cum eam potius suspectam habere debuissent, ex quo primum ab haereticis usurpata est, errorique significando opportuna visa fuit.

ANIMADVERSIO.

Cui primum gratiae se ipsa efficacia nomen exciderit, nolim ego certo statuere, cui Theologos omnes, apud quos in usu fortasse fuit, lecitare non sicut. Num Daniel universos evoluerit, ut id demum certo decerneret, rescire ab ipso velim. Demum tamen, id nominis primum excidisse Calvinum, gratiae necessitatis, ut vocant, dogma haereticum procedenti; quidni, quae, in catholicum sensum a Romanae communionis Theologis usurpetur? Quandoquidem Augustino iudice lib. de Doctrina Christiana cap. 11. Bonorum ingeniorum insignis est indoles, in verbis verum amare, non verba; ne Doctor verbis feriat, sed verba Doctori.

Profecto si quae vox in Ecclesia Catholica venerationem habet, ea principem locum obtinet, quam Nicæna Synodi Patres, Catholicae de Christi divinitate fidei tesseram posuere. *Consubstantialis* vocem intelligo, fidei Formulis insertam, Patrum codicibus inscriptam, Conciliorum canonibus definitam, Catholicorum denique omnium usibus consecratam. Et haec tamen, haec, inquam, Paulum Samosatenum profectum Trinitatis hostem, auctorem habuit; a quo primum in sensum haereticum, ab Antiochena Synodi Patribus damnatum, usurpata est, antequam legitimo sensui reddita, in fidei Formulam transferretur. Quae de re legendi veniunt S. Athanasius, & S. Hilarius in suis libris de Synodis, ac post ipsos Card. Baronius in *Annalibus* ad annum 272. num. 13. An ergo *Consubstantialis* vocem, suspectam, mali quae omnis dixerit Daniel, quod haec impio sensu accepta Paulum Samosatenum auctorem habuerit? Aut etiam Nicæna Synodi Patribus succensit, quod eam, nihil insuam originem veriti, catholicae professionis notam esse voluerint, certamque sanctitatis fidei tesseram consecrarint?

Haud mitiori virga excipendum, quod adicit Molinianus Disputator. Calvinum, errorem suum ea loquendi formula conclusisse, eamque re ipsa errori significando summe congruere. Longe aliter Tridentinis Patribus visam, qui cum novorum Reformatum errores, suis ipsorum verbis, quantum fieri potuit, expressos, damnandos aggressi sint, gratiae se ipsa efficacia innoxio nomini preperere; hocque duntaxat altero errore concludi declarant: *Libera Arbitrium motum, & excitatum a Deo non posse dissentire, si velit.* Nempe intacto principio, consecrationem a Galvino deductam anathemate petierunt, qua libertatis excidium ex efficaci per semetipsam gratia colligebat.

Certe si gratiam se ipsa, siue se sola efficacem dicamus, eandem tenemus loquendi formulam: imo longe majus postremae hujus locutionis pondus videri potest. Et tamen gratiam se sola efficacem si quis forte dixerit, dicti vim ex Patribus, atque Conciliis mutuabitur. Quartae quippe Synodi To-

letanae, ac subinde Constantiensis Concilii Patres, in Oratione singulis Sessionibus praemissi solita, *Junge nos, inquit, tibi efficaciter solius tuae gratiae dono.* S. Augustinus lib. de Gratia, & Libero Arbitrio. cap. 5. *Ut Paulus de caelo vocaretur, & tam magna, & efficacissima vocatione converteretur, gratia Dei erat sola.* S. Prosper in carmine contra ingratos cap. 14.

Ut tamen his studiis auditor promoveretur, Non Doctor, neque discipulus, sed gratia sola efficit.

Et capite 15.

Nec quod sola potest, cura, officioque ministris exequitur.

Quaenam quid juvat syllabarum numeros cavillari? Si Patres vocemus in censum, qui divinae gratiae vim, & efficaciam commendantur, graviores longe dicendi modos observabimus, quam qui nudo gratiae se ipsa efficacia vocabulo continentur. Augustinus invidiosissimam, fortissimam, omnipotentissimam gratiam vocat: *insuperabilis fortitudinis, ineffabilis potestatis, magne, & efficacissimae vocationis, occulissimae, & potentissimae potestatis;* qua liberum hominis arbitrium indeclinabiliter, & insuperabiliter agitur. Tertullianus lib. de Anima cap. 21. gratiam naturam potentiorum appellat, quae habet in nobis subjacentem sibi liberam arbitrii potestatem. Origenes Homilia 20. in Numeros, Gratiam, quae quodammodo vim nobis facit, ut nos pertrahat ad salutem. Basiliius libro de Spiritu Sancto cap. 8. Auxilium, quod per imperium suae potentiae operatur in nobis. Et Homil. 21. de Libero Arbitrio, gratiam insuperabilis potentiae. Athanasius Oratione 4. adversus Arianos, firmam, & inadmirationem gratiam. Cyrillus Alexandrinus lib. 5. Commentariorum in Isaiam, vocationem, quae electorum animas tanquam irrevocabiliter, & illaqueatas retinet. Quibus quidem loquendi formulis, gratiae energiam luculentius commendantur, quam si se ipsa efficacem simpliciter nuncupassent.

LIBELLI SUMMA.

(Pag. 75. 76. 77.) Spondet nupsum, aut facris in Litteris, aut Ecclesiae functionibus, aut Divi Augustini codicibus inventum iri gratiae se ipsa efficacia definitionem; seu distincti omnino verbis, seu aliis idem pari vi, atque virtute significantibus. Eam porro ita bis, terque definit: *quae a se ipsa, ac suapte natura, quacumque ad alterum relatione possibilibus, certam, ac falli nesciam cum voluntatis assensu connexionem habet.*

ANIMADVERSIO.

Errat toto ostio vir Molinianus, dum gratiam se ipsa efficacem ab suis defensoribus ita definitam ostendit, ut sua illi vis insit suapte natura, quacumque ad alterum relatione possibilibus. Quaenam enim illi vim insit contendat, suapte natura, omni vel ad bonum libertatis usum, vel ad consensionem voluntatis, vel ad congruentes circumstantias, vel demum ad Scientiae Mediae directionem relatione seposita, minime tamen ejusdem gratiae ad omnipotentiam Dei, decretumque, relationem possibilibus volunt; sed hanc maxime illius definitionem contineri contendit. Cum enim efficaciam illam obtineat, quatenus divinae omnipotentiae.

potentiae, divini propositi instrumentum est, eaque sit divini instrumenti conditio, ut tota illi a causa principis virtus insit, intinam ad divinam omnipotentiam, decretumque relationem importat. Ita sapientissimus Lemos Tom. 4. *Paenitentiae lib. 4. part. 2. tract. 4. cap. 13. Divina motio nihil ex se, seu ex natura sua habet, nisi quod a Deo movente participat. Unde idem est, quod divina motio ex se, seu ex natura sua efficax sit, & quod, ut venit a Deo, & ejus efficaci voluntate, efficax sit.* Imo si quis efficaciam ex se, & ex natura sua ita velit interpretari, ut divinam omnipotentiam, decretumque, unde originem ducit, seclusum velit, gratiam ex se, & ex natura sua efficacem vocandam omnino negat. Aliud est enim, inquit, quod in se efficaciam habeat, quod negari nequit, aliud valde diversum, quod ex se illam habeat. . . Omnis enim in universum actio, & motio agentis cujuscumque; & similiter omne instrumentum in se virtutem habet datam ab agente, quae prout ipsum agens agit. At illam virtutem ex se instrumentum, motio, vel actio non habet, sed ex agente, & movente illam participat. Quia quidquid instrumentum habet in ratione formali instrumenti, ex causa principali habet, non ex se, ut est satis natum. Et similiter quidquid habet virtutis actio, seu motio, non ex se habet, sed ex agente, & movente; ac prout quidquid virtutis, energiae, & efficaciae habet auxiliium gratiae efficax, non ex se habet, sed ex Deo ipso, & ex efficacia voluntatis divinae. Idem habet Didacus Alvarez alter efficacis gratiae vindex, in celeberrimis Auxiliorum Congregationibus, *Disput. 90. num. 4.* Cum dicitur auxiliium gratiae efficax ex se, prout venit a Deo, illa particula, ex se, potest accipi dupliciter: primo ut praescindit a Decreto absoluto, & efficaci Dei voluntatis, ut homo hic, & nunc convertatur, vel pio operetur: & in hoc sensu nullus Catholicus dixit auxiliium gratiae esse efficacem secundum se, vel ex seipso: nam lumine naturae est per se notum, nihil fieri in verum naturae, nisi Deo volente, aut permittente, cum per intellectum, & voluntatem ipse sit causa omnium, quae quomodolibet habent esse, ut *Disput. 26. ostensum est.* Secundo modo potest auxiliium gratiae dici efficacem ex se, ita ut particula ex se, vel secundum se, importet independentiam a libera cooperatione nostri arbitrii. Itaque idem est dicere, auxiliium gratiae esse efficacem secundum se, vel ex seipso, ac si diceretur esse efficacem antecedentem, & independentem a libera cooperatione nostri arbitrii. Et in hoc sensu intelligunt praedictam propositionem ejus assertores, in quo etiam verissima est.

Ut itaque ex sacris litteris, Ecclesiae sanctionibus, ac Divi Augustini codicibus, gratiae se ipsa efficacia, qualem propugnat Schola Thomistica, definitionem quis eruat seu distincti omnino verbis, seu aliis idem pari vi, atque virtute significantibus, satis superque est, si talem ex iis fontibus gratiam ostendat, quae intinam, & cum voluntatis assensu certo conjunctam efficaciam habeat a se ipsa, hoc est, a summa Dei in voluntates hominum potestate, divini quoque decreto se ipso efficaci, cujus haec ipsa instrumentum est. Sic sane Clementi VIII. persuasum, qui gratiam se ipsa efficacem celeberrimo scripto probaturus, id articulo 5. demonstrandum aggressus est: *Hec gratia habet efficaciam ab omnipotentia Dei, & a dominio, quod summa divina majestas habet in voluntates hominum, sicut in caetera omnia, quae sub caelo sunt.* Persuasum, & id publicis Societatis actoribus, qui habita cum doctissimis Italiae, Galliae, Hispaniae, Flandriae, Germaniae Sociis collatione, illum maxime Pontifici scripti articulum impugandum susceperunt, Congregatione 2. Serry Tom. V.

sub Paulo V. celebrata, quod rei summam eo capite verti certo scirent. (*Hist. de Auxil. lib. 4. cap. 8.*)

An itaque hujus generis gratia, ex sacris Litteris, Ecclesiae decretis, ac Divi Augustini scriptis erui possit, in sequentibus expendendum. Uppam interim, alterumque Doctoris Angelici locum ad promulgidem dabu, ubi certam, ac falli nesciam efficacis gratiae cum effectu connexionem, ex una divinae voluntatis omnipotentia derivat. Ita 1. 2. *quest. 112. art. 3. Si preparatio ad gratiam consideretur secundum quod est a Deo movente, & tunc habet necessitatem ad id, ad quod ordinatur a Deo, non quidem coactionis, sed infallibilitatis. . . Unde si ex intentione Dei movens est, quod homo, cujus cor movet, gratiam consequatur, infallibiliter ipsam consequitur.* Et *quest. 6. de malo articulo 2. ad 3. Deus movet voluntatem immutabiliter, propter efficaciam virtutis movens, quae deficere non potest.* Viden, ut intinam gratiae cum effectu conjunctionem, non aliunde quam ex divinae voluntatis imperio, decretoque derivat?

LIBELLI SUMMA.

(Pag. 79. 80.) Gratiam congruam eo principio sacris Litteris exarato niti monet: Deo scilicet scientiam inesse futurorum liberorum quae conditione suspensa fuit: Exempli causa, futurae Tiriorum, & Sidoniorum conversionis, si ea sub illorum oculis miracula ederentur, quae Corrozaitis, & Bethsaisitis spectantibus acta sunt. Eo quippe constituto principio, consequens esse ait, posse Deum conversionem hominum certo decernere, gratia se ipsa efficaci penitus ablegata.

ANIMADVERSIO.

Prodigio simile est, Molinianae Scholae Professoremeritum ignorare, quae prima, lactis instar, tyronibus intillatur: Gratiam congruam non qualicumque futurorum liberorum, quae conditione suspensa sunt, notitia niti; sed ea, quae divino decreto praevia sit. Est etenim Scientia Media, quam ex nomine appellare refugit Daniel, scientia futurorum conditionatorum ante decretum. Neque eam alia de causa, Deo optimo maximo, in condendis decretis praelucere putant Moliniani, quam quia decreto praeviam arbitrantur. Nec imprudenter. Equo enim pacto condendis decretis praelucet ea cognitio, nisi praevia fingeretur? Tota eo cardine volvitur Thomistica inter, ac Molinianos celeberrima controversia, in id tota devolvitur disputatio. Quin certo futura illa noscantur, nemo nostrum ivit inficias; verum quo medio, quo pacto ea fieri contingat, magna lis est, in qua pro sententiarum varietate, gratiae congruae fundamenta, vel ponuntur, vel suffodiuntur. Si etenim, quod Thomistae contendunt, veritatem habet: ea nempe futura illo ipso decreto fieri, quo praedefiniuntur a Deo, vacat omnis gratiae congruae locus, cujus largitio ex Scientiae Mediae directione necessario pendet. Si e contrario, quod Moliniani ardent, ante decretum sciuntur a Deo, non omnino gratia congrua repugnabit.

Quis itaque Molinianum Tractatorem non rideat, qui gratiae suae congruae fundamenta jacturus, solam nobis futurorum, quae conditione suspensa sunt cognitionem occentat; num autem decretum Dei cognitio illa praeviat, quo cardine
X x x
vol-

volvitur gratia congrua, ne verbo quidem attingit? Hoc illi, hoc præ cæteris fuerat demonstrandum: Hoc opus, hic labor erat. Quod ut non egit, tota ab imo ruit superstructa gratiæ congruæ machina, fluxo, ac labili, imo nullo plane fundamento nixa, uti secuti Animadversionibus planum fiet.

XIX.

LIBELLI SUMMA.

(A pag. 81. ad 84.) Sacra Proverbiorum, Estheris, Paralipomenon, Isaïæ, & Ezechielis oracula, quæ Deus cor Regis manu tenere dicitur, ut ad quodcumque voluerit, vertat illud; potentum corda transferre; facere ut in mandatis ambulent; auferre cor lapideum, & dare cor carneum; ita demum aures aperire, ut contradicere nemo: Hæc inquam oracula ab gratiæ se ipsa efficacis defensoribus laudari solita, hoc expedito, ut arbitratur, responso declinat: Nempe gratiæ se ipsa efficaci penitus ablegata, Deum hæc omnia certo præstare; quia sua illa futurorum conditione pendentium cognitione, sacris Litteris exarata certissime novit, quid quisque hæc, vel illa gratia excitatus acturus esset. Quo semel explorato, suam cuique congruentem gratiam impartitur, ut quod ex conditione futurum ante præviderat, certo contingat.

ANIMADVERSIO.

(Lege Animadv. 32., & 33.) Lepide narrat Fabulator. Verum si quæ sacris Litteris legitur futurorum certa notitia, decreto duntaxat prædefinitæ subnixæ est: si nihil etiam conditione pendulum prævidetur a Deo, quod non fuerit in antecessum æterni decreto sancitum: si homines nudis excitationibus invitatos nunquam penitentiam adituros prænoiscit, nisi gratia se ipsa victrici in eis operetur, ut agant: si nullum, nisi quem dare constituit, consensum explorat: si futura conditionibus illigata, non nisi prædefinitando cognoscit: quo demum abibit gratiarum congruentium commentitia largitio? An non, amabo, ad gratiam se ipsa efficacem, æterni decreti certissimum instrumentum confugiendum, ut, quæ Deus sacris Scripturarum oraculis adpromisit, certo contingant? Vanam igitur operam locat fervidus Actor, qui nuda in Deo futurorum cognitione posita, cæteris vero, quibus gratiæ congruæ moles incumbit, silentio missis, Scholæ suæ systema fabricatur. Qualemcumque enim futurorum, quæ liberis conditionibus pendet, cognitionem Deo vindicet, nisi hanc edendo decreto præviam, ac prælucentem ostenderit, litus arat.

XX.

LIBELLI SUMMA.

(Pag. 85. 86. 87.) Mardochei dictum (Esth. cap. 13.) Domine, in ditione tua cuncta sunt posita, & non est, qui possit tui resistere voluntati, si decreveris salvare Israel. . . Dominus omnium es, nec est, qui resistat majestati tue: alterumque Isaïæ cap. 14. Dominus exercituum decrevit, & quis poterit infirmare? ab erudito, ut vocat, Thomista (P. Serry adversum Launojum.) in gratiæ se ipsa efficacis probationem nuper adducta, nimis probare inquit, aut certe nihil. Nimis, quia inde consequens esset, efficaciam gratiæ resisti non posse, quod Syaodus Tridentina damnavit: Nihil, quia de gratia iis in locis sermo non est,

sed de salute temporali Judæis conferenda, Amæ nequicquam in oppositum obnitente; necnon de inevitabili Assyriorum exitio, a Deo exercituum inferendo.

ANIMADVERSIO.

Quod me, bina Daniels, Epistola, ludibriis dehonefatum non ita pridem, futilibusque erroris accusationibus appetitum, (Pag. 111.) eruditum modo Thomistam, ac etiam celebrem Dominicanum, ab eodem videam appellari, non ideo mente efflor, sed illud Augustini repono: sic audire debet contumelias tuas, quomodo laudes tuas, lib. 3. Operis imperfecti contra Julianum cap. 10. At interim dum laudat, imponit. Non enim ea Scripturæ oracula usurpavi, ut gratiam se ipsa efficacem simpliciter demonstrarem, cui id unum consilii fuit, palam ostendere, Augustini loquendi formulam, ab Launojo erroris insinulatam (ut divina gratia indeclinabiliter, & insuperabiliter ageretur) Scripturæ phrasibus plane congruere, quæ absolutam Dei voluntatem efficacissimam, & insuperabilem probant. Quapropter quo fine, consilioque ea Scripturarum oracula laudata sunt, non ultra probant, quam veritas habeat, sed quod instituto maxime congruatur: quodam videlicet sensu, efficaci gratiæ, ex Scripturæ phrasi, non posse resisti: adeoque Augustinum perperam ab Launojo censura notari, quod gratiam efficacem indeclinabilem, & insuperabilem dixerit. Quod enim Catholicum interpretationem Scripturæ patitur, patietur & Augustinus.

Quamquam quid vetat, oracula hæc ad gratiam se ipsa efficacem ex sacris Litteris simpliciter demonstrandam, a Theologis usurpari? Siquidem, quæ ex iis, Daniele iudice, elicitur confectio, igitur gratiæ efficaci resisti non poterit, de potentia actui conjuncta, quam consequentem Scholæ proceres vocant, accipi debet. Qui verus gratiæ suapte natura efficacis character est.

Nugacis porro Cavillatoris est, hæc ipsa oracula eludere velle, quod illic non de gratia, sed de temporali Judæorum salute, & Assyriorum exitio sermo fit. Nemo quippe non videt, hæc generatim, & univèrsim de Dei in decernendo quæcumque liberit, ineluctabili potestate dicta esse, tamen privato illic instituto accommodentur. Theologisque idcirco liberum esse, ex generali principio argumentum mutuari, quo Dei, quocumque seu nature, seu gratiæ ordine, indeclinabilem, & insuperabilem potestatem evincant.

Certe Augustinus non ab similia Scripturæ oracula, gratiæ, quod versat instituto accommodat. & quam Deus in rebus civilibus dirigendis, ac decernendis, supremam potestatem exercet, in salutis quoque negotio procurando, cordibusque ad Christianæ pietatis opera promovendis exercere potiori jure contendit. Sic cap. 14. libri de Correctione, & Gratia, cum gravem sententiam statuisset: Deo volenti salvum facere, nullum hominis resistit arbitrium. Sic enim velle, seu nolle in volentis est potestate, ut divinam voluntatem non impediat, nec superet potestatem: hanc questis ex Libris Regum, & Paralipomenon exemplis probandam aggredior. Non est itaque dubitandum, voluntati Dei, qui in cælo, & in terra omnia quæcumque voluit, fecit, & qui etiam illa, quæ futura sunt, fecit, humanas voluntates non posse resistere, quominus faciat ipse, quod vult: quandoquidem etiam de ipsis hominum voluntatibus, quod vult, cum vult, facit. Nisi forte (ut ex multis aliqua commemorem) quando Deus voluit Sauli regnum dare, sic erat in potestate Israëlitarum subdere se memora-

ANIMADVERSIO.

morato vivo, sive non subdere, quod usque in eorum erat positum voluntate, ut etiam Deo valerent resistere. Qui tamen hoc non fecit, nisi per ipsorum hominum voluntates, sine dubio habens humanorum cordium, quo placeret inclinandum, omnipotentissimam potestatem. Sic enim scriptum est: Et dimisit Samuel populum &c. Quibus fufus enarratis ad gratiæ institutum sermonem convertit sanctissimus Doctor, elicitur conclusionem a minori ad majus. Si ergo, cum voluerit Reges in terra Deus constituere, magis habet in potestate sua voluntates hominum, quam ipsi suas: quis alius facit, ut salubris sit correctio, & fiat in correpti corde correctio, ut calescit constituitur in regno? Quis itaque mihi jure succenseat, si Augustini vindicias adornans, ejusdem disputandi rationem, ac methodum usurpavi: ejusque exemplo, quæ de summa Dei, in rebus civilibus ad exitum, quæ de liberit, ineluctabiliter perducendis, potestate Scripturæ commemorat, ad gratiæ ordinem potiori jure retulerim?

Miram hanc in eludendis hinc Scripturarum oraculis subtilitatem a Semipelagianis mutuatus est Daniel. Cum enim supra laudatis exemplis ab Augustino premeretur, hæc ab instituto longe distat, atque ad rerum civilium, non ad gratiæ ordinem pertinere, non fecus ac Daniel, reponebat. Testis mihi sit Augustinus ipse lib. de Prædestinatione Sanctorum cap. 20. Frustra itaque, inquit, etiam illud, quod Regnorum, & Paralipomenon Scripturæ teste probavimus, cum Deus vult fieri, quod non nisi volentibus hominibus oportet fieri, inclinari eorum corda, ut hoc velint, eo scilicet inclinante, qui in nobis mirabili modo, & ineffabili operatur, & velle, ad causam, de qua differimus, non pertinere dixerunt. Quos subinde ita refellit. An forte quia ostendimus hoc Deum egisse in cordibus hominum, & ad hoc perduxisse, quorum ei placuit, voluntates, ut Rex constitueretur Saul, sicut David; ideo hæc exempla causæ huic convenire non putant, quoniam non hoc est temporaliter regnare in hoc seculo, quod est in æternum regnare cum Deo; ac per hoc existimant ad regna terrena faciendâ Deum inclinare, ad regnum vero caeleste obtinendum, Deum non inclinare, quorum voluerit, voluntates? Sed puto propter regnum caelorum, non propter regnum terrenum esse dictum: Inclina cor meum in testimonia tua, &c.

Pari jure quaesierim ego, an forte Danieli placeat, ut Deus nature Reslor, & Conditor universa ditione sua contineat, omniumque Dominus censetur: idem tamen gratiæ Auctor, atque Largitor suprema auctoritate, ac ditione devolvatur? Id si velit, haud ita morosus ero, quin alia iidem ferme verbis concepta oracula subjiciam, quæ de Deo gratiæ Largitore dicta, diffiteri non poterit. Ad Romanos 9. v. 19. Voluntati ejus resistit? Daniels 4. v. 32. Juxta voluntatem suam facit, tam in virtutibus cali, quam in habitatoribus terra: & non est, qui resistat manui ejus. Sapientia 11. Virtuti brachii tui quis resistit?

XXI.

LIBELLI SUMMA.

(A pag. 87. ad 92.) Paucas ex multis Scripturæ sententias colligit, Christianæ pietatis opera divina gratia tribuentes. Iis Pelagianos, non Molinianos peti contendit. Editæ Scholæ suæ professione, nihil a suis doceri ait, quod cum iis oraculis non optime congruat.

Serry Tom. V.

Num ea potissima sint Scholæ Thomisticæ fundamenta, num ex iis Scripturæ locis gratiam se ipsa efficacem proxime eliciant, non expendo. Molinianæ duntaxat Scholæ professionem, quam nobis pompatico sermone ostentat Daniel, penitus recognoscam; an forte experiri hic quoque liceat, quod de Pelagianæ doctrinæ professione monuit Augustinus lib. de Gratia Christi cap. 2. Quisquis hæc audit, & sensum ejus ignorat. . . . omnino eum putat hoc sentire, quod veritas habet. Quisquis autem, quid in eis aperius dicat, adversarii, debet habere etiam ista verba suspecta.

Docent, inquit ille, gratia se ipsa victricis impugnatore, Deum operari in nobis velle, quia bonam voluntatem producit in nobis per gratiam prævenientem, qua nobis bonum inspirat, atque, ut illud agamus, certo operatur, dum illud a nobis fieri efficaciter vult.

(Vid. Animadv. 26.) Hæc primo conspectu sani coloris videri queant: At si quis advertat, Semipelagianos, aut omnes, aut certe partem illorum alteram, ex celeberrimorum Theologorum sententia, gratiam quoque prævenientem, & interiori non refusisse, quæ bonæ voluntatis initia inspiraret: nec alia de causa initium fidei humanis conatibus tribuisse, quam quod suam illam prævenientem gratiam, versatilem, & ex humanæ voluntatis nutibus quoad effectum pendulam efficerent: facile deprehendit, non omnem illico suspitionem amoveri, quod gratia præveniens grandioribus tibi decantetur.

Exemplo nobis sit Augustinus, quem Semipelagianus circa initium salutis, & fidei errore, utque ad suscepti Pontificatus initia laborasse, nemo nescit. Is enim lib. 83. Questionum, quem eo etiam errore detentus elaboravit, ita initium salutis, & fidei nativis viribus tribuebat, ut suo quoque modo Deum interiori etiam gratis operari in nobis velle, fateretur. Parum est velle, inquiebat quæst. 68. nisi Deus miseretur; sed Deus non miseretur, qui ad pacem vocat, nisi voluntas præcesserit, quia in terra pax hominibus bonæ voluntatis. Et quoniam nec velle quisquam potest, nisi admonitus, & vocatus, SIVE INTRINSECUS, UBI NULLUS HOMINUM VIDET, sive extrinsecus per sermonem sonantem, aut per aliqua signa visibilia; efficitur, ut etiam ipsum velle Deus operetur in nobis. Ad illam enim Cænam, quam Dominus dedit in Evangelio preparatam, nec omnes, qui vocati sunt, venire voluerunt; neque illi, qui venerunt, venire possent, nisi vocarentur. Itaque nec illi debent sibi tribuere qui venerunt; quia vocati venerunt: nec illi, qui noluerunt venire, debent alteri tribuere, sed tantum sibi, quoniam, ut venirent, vocati erant in libera voluntate: Vocatio ergo ante morituram voluntatem operatur.

Nec refert quod Deum sua illa prævenientem gratia operari certo dicant Moliniani, ut bonum agamus, dum illud a nobis fieri efficaciter vult. Quis enim nesciat totum id de certitudine præscientiæ intelligendum, quæ (ut illi quidem autumant) certo novit, quid quisque nostrum pro sua innata libertate facturus esset; nec non etiam de conditionata voluntatis efficaciam, si nimirum ipsimet pro nostra in antecessum libertate velimus? Audi Molinam 1. part. quæst. 19. art. 6. disput. 2. Altero modo dicitur Deus velle aliquid, dependenter quidem ab arbitrio creato, quæ liberum est, atque adeo sub conditione, si creatum arbitrium id etiam velit, at ea ratione absolute, quod cum prævideat per arbitrium ipsum libere futurum, ex